

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3610

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Richard Vigelard [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, février

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

louis [IX], roi de France, cède à ferme à Richard Vigelard, Renaud Lance et Hugues Nervet pour la rente annuelle de 128 livres 9 sous 7 deniers tournois, 65 acres de terre labourable à Caniel, un moulin de Cantelou et une foire de Saint Hylaire avec d'autres redevances et des rentes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 640, p. 122.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos Richardo Vigelart, Reginaldo Lance et Hugoni Nervet dedimus ad firmam perpetuam et concessimus, pro VIxx octo libris novem solidis et VII denariis turonensibus annui redditus, nobis annuatim solvendis duobus scacariis, medietate ad Pascha et alia medietate ad scacarium sancti Michaelis, in firma de Canule. LXV acras terre arabilis, molendinum de Cantulupi et nundinas sancti Hylarii, unam minam frumenti de redditu, VII libras annui census, XLIX capones et XLIX denarios, XII gallinas ; item XII minas avene annui redditus, unam libram et dimidiam cere, precarias carrucarum et herciarum, relevia rusticorum et parvam justiciam ; item servicia hominum feodi qui debent quadrigagium in augusto, tassare et adunare, salvo tamen nobis et retento spate placito et pertinentibus ad placitum antedictum, forefacturis et gardis, releviis feodorum lorice integrorum et partitorum, patronatus jure, si quod nobis competit in firma predicta. Et de firma predicta nobis, ut dictum est, solvenda obligaverunt nobis in contraplegium, videlicet Richardus Vigelart C solidos annui redditus super terra sua de Clavilla de Barvilla et de Cani ; dictus autem Rogerus Lance centum solidos annui redditus super feodo Tranchart apud Pincemont, et dictus Hugo Nervet C solidos redditus super terra sua de Carvilla ; qui redditus, una cum predictis rebus traditis, nobis penitus remanebunt, si a contractu hujusmodi eos contigerit resilire. Tenentur etiam et promiserunt litteras officialis seu ordinarii super hujusmodi obligatione, nomine ipsorum confectas et sigillis eorum sigillatas, ballivo nostro Kaleti tradere infra Pascha, ad majorem rei firmitatem. Premissa autem omnia eisdem, ut dictum est, concessimus, salvo jure nostro in omnibus et etiam alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense februario.